



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XVI. Ecclesia vacans non est per ambitionem petenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

decretum agere præsumperint, si presbyter fuerit,  
 vel quilibet clericus, gradu priuetur: si laicus est,  
 aut femina, ab ecclesia usque ad satisfactionem se-  
 paretur. Conuentus autem talium confratrum,  
 necesse si fuerit ut simul conueniant, aut forte  
 aliquis contra parem suum discordiam habuerit,  
 quem reconciliari necesse sit, & sine conuentu  
 presbyterorum & ceterorum esse non possit, post  
 peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religio-  
 ni conueniunt, & post debitas admonitiones, si  
 contigerit ut veræ caritatis & fraternæ inuicem  
 consolationis omnes ad refectionem conueniant,  
 sic talia fieri permittimus, ut seruata modestia, &  
 temperantia, & sobrietate, pacisque concordia,  
 sicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis,  
 & laudem & gloriam Dei, & gratiarum actiones  
 fiant. Et hoc omnino caueatur quod Saluator  
LNC. XI.  
 ait: *Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Qui voluerint, eulogias a presbytero accipiant: & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant.* Et sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.

## XVI.

Iuo part. 3.  
cap. 269. Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit,  
 vicinus presbyter apud sæcularem seniorem nulla  
 precatione, vel aliquo xenio, ecclesiam illam obti-  
 neat, quia titulus per se constans antea extitit, sed  
 neque capellam sine consultu episcopi. Quod si  
 fecerit, definitam sententiam sibi prolatam susci-  
 piat, sicuti de episcopo canonica decreuit auctori-

ANNO  
CHRISTI tas, vt si per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat quam usurpare tentauit.

## XVII.

Si quis voluntarie & per insidias hominem interfecerit, iugi se poenitentiae submittat. Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio remouetur: post quinquennium, tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. *Si quis de industria & per insidias occiderit hominem, ab altari meo euelles eum, ut moriatur,* dicit Dominus. Exod. 21.  
Iud. part. 10.  
cap. 145.

## XVIII.

Si quis casu non volens homicidium perpetrat, quadraginta diebus in pane & aqua poeniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur: non communicet, nec offerat. Post biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet: post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinenter ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

## XIX.

Cum Apostolus dicat: *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: turpe est enim mulieri loqui in ecclesia,* mirum videtur, quod quædam mulierculæ, contra diuinæ humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indefinenter adeant,

Rrrr iiij